



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti
Ethicorum**

Melanchthon, Philipp

Witebergæ, 1583

VD16 ZV 20638

Primvm.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56560)

quæ in Ecclesia traditur de causis miseriarum ho-
 manarum, & dissidij legum, & appetitionum in
 homine, quæ est malum originis, vt vocatur. Homo
 conditus est, vt Legi obtemperet, & hæc obedien-
 tia ardens & dulcis in cordibus hominum fuisset,
 si natura non fuisset deprauata. Iustum est enim,
 vt bonis benè sit, sed postquam natura hominum
 deprauata est, multæ in nobis ipsis, & in societate
 confusiones sequuntur. Harmonia legum & appeti-
 tionum turbata est, postea & foris mali aduer-
 santur virtuti, vt Camillo inuidet mali ciuitas.
 Ideo rectè facta sequuntur odia, pericula & in-
 sta neces. Ex hoc fonte pleræq; solutiones argu-
 mentorum Epicuri sumuntur. Ideo hanc admo-
 nitionem prius recitavi, quàm argumenta Epicuri
 recensere.

Præcipua autem & speciosissima Epicuri
 argumenta hæc sunt.

PRIMUM.

Finis cuiuslibet naturæ est hoc, ad quod
 magno impetu natura fertur, non illud
 quod difficulter agit aliunde impulsus.
 Distingui in hoc nam integrum
 et corruptum. lapidis motus deorsum naturalis est, sed
 sum violentus.

Tendit autem humana natura vltro ad voluptatem.
 Econtrà vero difficulter obtemperat legibus.

Ergo voluptas est finis.

Respondeo ad minorem. Nobis, qui scimus vnde
 turbata sit harmonia virium in homine, facilis est
 solutio. In Minore, fallacia est accidentis, quia per
 accidens fit, propter depravationem humanae na-
 turae, ut tantum sit incendium malarum appetitio-
 num, ut difficulter obtemperemus legi Dei. Sed si
 natura esset incorrupta, si Deus in nobis perfun-
 deret nos luce sua, & flammis virtutum, vniuersa
 obedientia iucunda esset. Haec solutio nobis in Ec-
 clesia illustris & utilis commonefactio est, ut co-
 gitemus, quam triste malum sit haec discordia viri-
 um & vnde sit. Sed in Philosophia verè & per-
 spicè sic responderi potest: Nego Minorem, quia
 fallacia est, à dicto secundum quid ad dictum sim-
 pliciter. Non enim tota natura fertur ad volupta-
 tem, sed mens ante factum & post factum repue-
 gnat. Nam post delicta, sequuntur tristissimi cru-
 ciatus. Impossibile est autem, finem naturae, eam-
 rem aut actionem esse, quam natura tota post fa-
 ctum horribiliter auersatur, & potius non esse
 mallet, quam sustinere conspectum eius facti, ut
 David mallet non esse, quam sustinere cogitatio-
 nem sui lapsus. Haec solutio manifestissimè refu-
 tat Epicureos, ac ostendit, non ferri totam natu-
 ram ad voluptatem principaliter.

SECUNDVM.

Quilibet natura recto & ordinato appetitu
 praecipue appetit conseruationem.

Voluo